

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Sanctitas uel sanctus k cum uariis

Tria sunt que in festiuitatibus sanctorum uigilanter considerare debemus: auxilium sancti, exemplum eius, confusionem nostram. Auxilium eius quia qui potens in terra, potentior est in celis ante faciem Domini Dei sui. Si enim dum hic adhuc uiueret, misertus est peccatoribus et orauit pro eis, nunc tanto amplius, quanto uerius agnoscit miserias nostras, orat pro nobis patrem quia beata illa patria caritatem eius non mutauit sed augmentauit. Sed nunc pocius mouit sibi uiscera misericordie cum ante fontem misericordie assistit. Debemus eiam attendere uitam eius quia quamdiu in terris uisus est et cum hominibus conuersatus est, non declinauit neque ad dexteram neque ad sinistram, sed uiam regiam tenuit donec ueniret ad illum qui dicit: Ego sum uia, ueritas et uita. Item diligentiori intuitu confusionem nostram aspiciamus quia homo ille similis nobis fuit passibilis ex eodem luto formatus ex quo et nos. Quid ergo est quod non solum difficile sed impossibile credimus ut faciamus opera que fecit ut sequamur uestigia eius?

Bernardus sermone quodam.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

Sanctitas uel sanctus k] Sanctitas uel sanctus l P V¹ V² L¹ L²; festiuitatibus] festiuitate (*cor. intra*) B; Dei *om.* P V¹ V² L¹ L²; sed nunc] immo P V¹ V² L¹ L²; nunc] non (*cor. intra*) B; attendere uitam eius] vitam eius attendere P V¹ V² L¹ L²; dexteram] dextram C P V¹; ex *om.* (*cor. supra lin.*) B; Bernardus] in *add.* C L¹ L²; sermone quodam] quodam sermone L¹ L²